

1602 jus ac consuetudinem armati mare Adriaticum navigassent, acriter monitos dimittit. Ita Agustanorum tumultus hoc anno compressi sunt.

M. DC. III.

1603 **I**nterea Joannes Carolus Scaramella cum in Angliam per venisset, Elisabetham adit, mandata Senatus exponit: Anglos prædones maria infesta reddere, Veneta navigia capere, diripere, in negotiatores crudelitatis atque avaritiæ omnia argumenta edere: ea invita atque inscia fieri Senatum arbitrari: quid enim a potentissima atque amica Regina magis alienum, quam jura gentium turbari, navigationem intercludi, nullo discrimine innoxios ac fontes haberí? ad ea mala avertenda nihil Patribus opportunius visum, quam in Angliam mittere, qui de iis certiore illam faceret, proque veteri cum Venetis amicitia, tot tantisque incommodis obviam iri, ablata restitui, reos plecti, ne imposterum hujuscemodi accident, caveri postularet. Elisabetha, quæ semper propenso in Venetos animo fuerat, quod post tot exactos annos renovandæ amicitiæ causa Senatus suum in Angliam a secretis miserit, gratias agit; quæcumque a se profici si possint, libenter Reipublicæ causa facturam, neque quidquam, quo ei gratificetur, prætermisuram pollicetur: negotium Præconsultoribus committitur. Dum hæc fiunt, pridie nonas aprilis Elisabetha, cum quatuor ac quadraginta annos Angliæ imperitasset, ab humanis excessit; mulier certe, si religionem demas, toto terrarum orbe cunctis sæculis memorabilis; ex Anna Bolenia & Henrico octavo anno M. D. XXXIII. orta, quam ille, Maria, ex Catharina, Ferdinandi Hispaniarum Regis filia, suscepta, prætermissa, regni heredem pronunciavit. At mox, Anna securi percussa, Joannæ Semeriæ junctus Edoardum protulit, qui novem natus annos Henrico successit, septenniumque, cum nondum per ætatem posset, per ministros imperavit. Eo sublato, Maria, a Patre licet abdicata, utpote quæ natu major ex justis nuptiis genita esset, Janna Suffolcia regni æmula supplicio affecta, Angliæ gubernacula suscepit; veterem religionem labefactatam ac pene convulsam

*Elisabetha
Angliae Re-
gina obitus.*

re-